Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift



saurus. illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo ueritas ait, ubi enim thesau
rus tuus est, ibi et cor tuum est. Ut ergo in celis thesaurizemus, celestia diligamus.
Vis nosse ubi thesaurizas, adtende quod amas. Vis nosse quod amas, adtende quod cogi
tas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, et amorem tuum in dicium
tue cogitationis intellegas. Ostendens autem dominus quomodo in celis thesaurizare possi
mus ait, Sint lumbi uestri precincti, et lucerne ardentes. Si istum domini sermonem secundum
litteram uelimus accipere, nihil in eo commodi spiritualis possumus inuenire. Quid enim pro
ficit ad animae salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos suos precingat, aut lucer
nam accendat. Alia ergo in precinctis lumbis et lucernis ardentibus querenda est intel
legentia spiritualis, que scilicet diuino sit precepto condigna, et nostre saluti congrua
reperiatur et commoda. Neque enim frustra quodam loco ipse dominus ait, uerba que ego lo
cutus sum uobis spiritus et uita sunt. In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur,
in lucernis uero fides et caritas christiana monstratur. Iubens ergo dominus lumbos nostros precingi,
concupiscencias carnis sine dubio precepit refrenari. Imperans autem ut lucernas ar
dentes habeamus, hoc utique iubet, ut et lumine splendeamus uere fidei, et sancte
caritatis operibus ferueamus. Iubens ut sint lumbi nostri precincti, mandat ut mala
desideria atque opera fugiamus. Iubens ut sint lucerne nostre ardentes, monet ut bona
diligamus atque faciamus. Ista que de euangelio proposuimus, cum propheticis sermo
nibus conferamus. utrumque enim testamentum deus unus instituit, unus dominus dedit, et si sunt
utriusque testamenti diuersa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in utroque salutis
humane sententia qua precipitur ut non peccemus, et iubetur ut bonis operibus
insistamus. Precepit itaque dominus per beatum dauid dicens, declina a malo et fac bonum, per
esayam quoque omnes his admonet uerbis, auferte malum cogitationum uestrarum ab
oculis meis, quiescite agere peruerse, discite bene facere. Hoc ergo nunc dominus per se ipsum

Secundum Lucam. Hill. I. Die. D. I. D. S. Fulgentii epi.